

Qvi plura hujus fallaciæ exempla desiderat, legat *opera Philosophica Timpleri.*

Illustre Exemplum ex *cap. 16. Matthæi* habet *Danbauerus Id. Bon. Disp. Sect. 2. p. 188.*

### Canon Sophisticus.

Ut idem & diversum rectè & accuratè distingvantur, non est necessarium.

### Solutio.

Solutio fit negatione propositionis, in quâ petitur Quæsitum, si vitium ab initio statim percipitur, & ostendendo idem per idem probari. *vel:* Si post concessam propositionem, quâ Quæsitum petebatur, tandem Sophisma percipitur, dicendo nos admisisse quidem propositionem illam, non tamen ut principium, ex quo adversarius argumentaretur; Sed quasi problema ab adversario probandum.

### CAPUT X.

SEquitur *fallacia Consequentis.* Quæ sit, si consecutionem reciprocam esse putet, quæ non est ut si dicas: *si pluit, terra est madida. E. si madida est, pluit.* Et si e-

L 3

nim